

Duodeviginti anni sunt, cum I. M. Gesnerus, Vir Celeberrimus, idemque Collega tum meus, quo nullus mihi, ne si cogitatione quidem fingendus fuisset, neque melior potuisset contingere, neque suavior, cum is, inquam, hortari me coepit, ut libellum diu a se desideratum scriberem, qui Matheseos purae, quam dicant, et Philosophiae elementa traderet, essetque latino sermone, sed puro et emendato, omninoque ad veterem subtilitatem et elegantiam conformato, scriptus, ut et nos, et alii elegantis philosophiae studiosi magistri, haberemus, quo commode uti possemus. Sed, cum facile viderem, parum laudis, fortasse etiam reprehensionis permultum, hoc laboris genus habiturum esse, diu ille, quod volebat, perficere non potuit: donec etiam **STIGLITII**, Viri illustris, communis vtriusque nostrum Patroni, mihi autem etiam Patris loco amandi et colendi, auctoritatem adhibuit: cui non obsequi, nefas videbatur. Quare ab illo tempore paullo magis coepi de eo consilio cogitare, atque hunc libellum per otium, quod mihi perexiguum datum erat, conscribere, qui nunc, post quintum decimum a prima editione annum, tertium prodit. In eo quid nobis propositum fuerit, paucis accipe.

Non desunt hodie libri, quibus Matheseos aut Philosophiae elementa tradantur; modo non multitudine eorum laboraremus. Sed plerique sunt eiusmodi, ut tironibus, in primis

mis